

## Die Urkunden Karls des Großen, 288

Carolus dei gratia rex Francorum et Longobardorum ac patricius Romanorum. Quicquid locis venerabilibus ob amorem dei et oportunitatem servorum eius benivola liberalitate concedimus, hoc nobis ad mercedis auctumentum et stabilitatem regni nostri pertinere confidimus. Quapropter compertum sit omnium fidelium nostrorum magnitudini, qualiter donamus ad monasterium Fuldensis cenobii, quod construxit beatus Bonifacius in honore sanctorum apostolorum Petri et Pauli in pago Graffelt, ubi preciosum corpus ipsius sancti Bonifacii requiescit, ubi vir venerabilis Sturmis abbas congregationi monachorum preesse videtur, quasdam res proprietatis nostre, locum scilicet Clingemburc situm in pago Rinecgowe super fluvium Sulaha cum omni integritate, cum omnibus appendiciis vel adiaceuciis suis, id est tam mansis quam domibus ac terris edificiis mancipiis vineis silvis campis pratis pascuis aquis aquarum decursibus mobilibus et immobilibus piscationibus molendinis et cum omni possessione, totum et integrum ad sanctum et venerabilem sancti Bonifacii locum tradidimus perpetualiter possidendum. Preterea hanc cartam preceptionis nostre conscribi iussimus, in qua precipimus, ut hec nostre proprietatis oblatio semper ibi maneat et ut fratres ibidem deo servientes mei et parentum meorum memoriam faciant apud deum. Et quicumque hanc preceptionem violaverit, a communione sacrosanctae aeccliesiae catholicae exsors et excommunicatus erit.